



ANsgarius sua eruditione & omnis generis
 uirtutibus apud Germanos in magno pre-
 tio fuit. Itaq; Ludouicus Pius Cæsar ad Hambur-
 gensis Ecclesiæ gubernationem eum accersiuit.
 Fuerat is prius Corbeiensis pastor in Francia. Un-
 de post Ludouici Cæsaris opera nobile monaste-
 rium Corbeiam in Saxonia ad Visurgim ædifica-
 uit, & ut optimæ artes & disciplinæ ibi docerentur,
 curauit. In ea uocatione Ansgarius fuit diligen-
 tissimus. Primò enim per Saxoniam longè lateq;
 Euangelium Christi disseminauit, atque reliquos
 eius regionis Episcopos diligenter officij admo-
 nuit. Postea etiam ulterius profectus, ad Danos

peruenit, atq; ubiq; ipsam ueritatem propagauit. Hinc factum ut ab omnibus
 instar patris diligeretur. Cum hoc modo talentum à domino sibi cōcreditum
 optimè elocasset, tandem anno octingentesimo sexagesimo quinto, 3 Febr.
 mortuus, & apud suos honorificè sepultus fuit. Theoph. Leb. in Onomast.
 Theolog. Crantz. in Metrop.